



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. X. An in causa Universitatis, vel Collegij is, qui est pars, vel membrum
ejusdem, possit testimonium ferre?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pro quo fidei iussit, neque principalis debitor in causa sui debiti, cum ubique proprium interesse interuenit.

§. X.

An in causa Universitatis, vel Collegii is, qui est pars, vel membrum ejusdem, possit testimonium ferre?

Respondetur affirmativè, juxta c. Insuper. 6. & in c. Cum Nuntius 12. h. t. quod verum est de Collegio, seu Universitate, tam Seculari, quam Ecclesiastica, ita ut quilibet in particulari, etiam si talis communitatis pars sit, in testem pro sua communitate admitti debeat, cum non ferant in propria causa testimonium, sed pro jure Universitatis, quod distinctum quid est à jure singulorum: Et quamvis ex tali pro Universitate testimonio commodum aliquod tales testes habeant, hoc tamen non censetur tantum, ut falsum depositurus in bonum suæ communitatis videatur talis honestus, & bonæ vitæ testis: quod si enim magna singulorum utilitas conjuncta esset cum jure Universitatis, illorum testimonium, qui magnam exinde utilitatem haberent, non audiretur, cum in effectu hi agerent de proprio commodo; prout etiam non admittitur membrum Universitatis in causa criminali in favorem Communitatis, aut in causa Civili valde ardua, ubi testes omni exceptione majores requiruntur; neque admittitur talis pars Communitatis in favorem hujus deponens, si valde parva sit Communitas, cum hi tales potius inter domesticos numerandi sint.

De Episcopo verò aut alio Ecclesiæ Prælato dici quidem potest, quod in causa suæ Ecclesiæ vel Monasterii in testem admittendus sit, prout patet ex inscriptione c. Insuper 6. h. t. Si tamen Prælatus Procuratorem in judicio constituat, qui suo nomine agit, non potest esse in ea causa testis, cum in tali causa actor principalis ipse Prælatus habeatur, & consequenter, neidem sit actor & testis, admitti in testem non debet, sicuti nec admitti debet in testem, casu quo Collegium non habeat, sed solus administrat, & solus agat, vel agat de redditibus suæ mensæ.

SECTIO II.

De numero, juramento, & depositione testium.

§. I.

Quot testes requirantur ad legitimam probationem, & plenam fidem faciendam?

Orordinariè ad probationem rei gestæ requiruntur, & sufficiunt duo testes idonei, & omni exceptione majores, tam in profanis, quam Ecclesiasticis, tam in Civilibus, quam in Criminalibus causis, prout ex capite 17. & 19. Dentronomii habetur, & ex c. In omni 4. & c. Licet 23. h. t. Sunt quidem aliquæ causæ, in quibus de jure plures, quam duo, aut tres testes requiruntur, prout etiam patet ex Can. 2. junctâ Glosiâ V. Præsul. Caus. 2. q. 4. De consuetudine tamen hodie non omnia observantur: & quantumvis hac in re quoad numerum tes-

R r 3 stium